

II

Q. Utrum sub verbis can. 1263 «personis iuridicis publicis suo regimini subiectis» comprehendantur quoque scholae externae institutorum religiosorum iuris pontificii.

R. *Negative*.*

I. Can. 1263: iter redactionis atque interpretatio.

Quaestio de qua agimus respicit tributa, non alias enlargitiones sive liberas sive rogatas, de quibus agunt modo specifico cann. 1261-1262, 1266, 1267, vel taxas et oblationes de quibus in can. 1264. De tributis in genere agit can. 1263; non tangimus quaestionem de tributo specifico in favorem seminarii, de quo agit can. 264¹.

1. In praecedenti Codice tres dabantur canones qui de tributis agebant, id est 1504, qui statuebat normam circa tributum cathedraticum; 1505, qui agebat de tributo imponendo «speciali dioecesis necessitate impellente»; 1506, qui determinabat aliud tributum in bonum dioecesis.

Nullus ex illis tribus canonibus servatur in novo Codice. Eorum loco, novus creatur canon, quo materia de tributis funditus ordinatur: est praecise can. 1263, qui tamen iter laboriosissimum habuit.

* Responsum diei 24.I.1989, approbatur in audientia Diei 20.5.1989, publici iuris in *L'Osservatore Romano* 24-6-1989, p. 2 et in *Communicationes* 21 (1989) 22, promulgatur die 10.8.1989 (AAS 81 [1989] 991).

¹ V. DE PAOLIS, *De Bonis Ecclesiae Temporalibus*, Adnotationes in Codicem. Liber V., Romae, 1986, pp. 61-66.

2. In schemate anni 1977, id est «Schema Canonum Libri V. De iure patrimoniali Ecclesiae»², can. 5 agebat de tributis, tribus paragraphis. Opportunum est transcribere totum canonem:

§ 1. Ius Ordinarii locorum est tributa imponendi personis ecclesiasticis tam physicis quam iuridicis sive publicis sive privatis, quatenus necessaria sint in bonum dioecesis. Tributa ne imponantur nisi audito Consilio presbyterali.

§ 2. Conferentiae Episcoporum pro suo quoque territorio normas statuere debent ad ordinationem tributorum regendam.

§ 3. Fideles subsidia Ecclesiae conferant per subventiones rogatas et iuxta normas a Conferentiis Episcoporum probatas. Episcopi tamen suasionem magis quam coactione fideles inducant ad hanc obligationem implendam.

3. Animadversiones

1) De facto ex tribus paragraphis tantum primae duae agunt de tributis, cum in tertia quaestio sit de subsidiis rogatis. In redactionibus successivis non amplius invenitur haec tertia paragraphus.

2) Circa quaestiones tributorum de quibus in aliis paragraphis, plures motae sunt difficultates ex parte organorum consultationis. Sufficiat duas praecipuas recolere, respective relate ad primam et secundam paragraphum.

a. Quoad primam paragraphum obiectio praecipua in eo habetur quod canon videtur tribuere nimiam, immo illimitatam facultatem imponendi tributa, «sive in ordine ad personas tributis subiciendas, sive in ordine ad bona quae tributis gravari possint. Praeterea nimis vagum videtur criterium pro imposi-

² PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENTO, *Schema Canonum Libri V. De iure patrimoniali Ecclesiae* (Reservatum), Typis poliglottis Vaticanis, 1977.

tionem tributorum "quatenus necessaria sint ad bonum dioecesis"»³.

Circa hanc difficultatem non idem fuit iudicium membrorum Coetus. Contra autem nonnullos Consultores, «alii Consultores censent animadversiones ab Organis consultationis factas maximam considerationem mereri, quia revera potestas Episcopo data illimitata videtur»⁴.

b. Quoad secundam paragraphum, sequentia legere possumus in actis Coetus:

«Plures animadvertunt in schemate nimiam potestatem tribui Episcoporum Conferentiis circa aliqua instituta, ita ut instaretur aliquod ius vigilantiae supra Episcopos, quod quidem intolerabile videtur attentis sive principiis doctrinalibus sive consecrariis practicis. Consultores concordantes sunt ut e schemate expungatur quicquid implicare possit vigilantiam Conferentiae supra Episcopos, vel attentare possit Episcoporum iuri regendi suas Ecclesias uti pastores ordinarii et immediati. Attamen, attentis documentis Concilii Vaticani II, praevideri debent quaedam normae, quibus melior coordinatio assequatur ope Episcoporum Conferentiarum circa regimen bonorum ecclesiasticorum quod attinet ad peculia instituta»⁵.

4. Istis animadversionibus consideratis, novus paratus fuit canon, qui venit sub numero 1213 in schemate CIC anni 1980⁶:

«Ius est Episcopo dioecesano, in casu gravis necessitatis, tributum extraordinarium et moderatum christifidelibus

³ *Communicationes* 12 (1980) 401.

⁴ *Id.*, p. 402.

⁵ *Id.*, p. 391.

⁶ PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENTO, *Schema codicis iuris canonici* (Patribus Commissionis reservatum), Libreria Editrice Vaticana, 1980.

necnon personis iuridicis, sive publicis sive privatis, imponendi; quod tamen ne fiat nisi audito Consilio a rebus oeconomicis et Consilio presbyterali; nullum vero tributum imponi potest super eleemosynis Missarum».

Ne hic canon quidem placuit. Difficultates motae sunt et quidem aliquo modo contradictoriae. Ex una parte obiicitur in nova redactione nimis restringi potestatem episcopi, cum facultas imponendi tributa admittitur tantum «in casu gravis necessitatis», et praevидetur tantum «tributum extraordinarium». E contra autem, nonnulli obiiciunt adhuc nimiam esse potestatem Episcopi, cum possit ille imponere tributum omnibus singulis christifidelibus, et omnibus personis iuridicis, quamvis fortasse non sint subiectae eidem Episcopo⁷.

Ex actis sequentia colligimus:

1) Sunt qui volunt ampliare potestatem Episcopi:

Quatuor Patres sequens votum proponunt: «In quantum Ecclesiae necessitates postulant, ius est Episcopo dioecetano tributum moderatum christifidelibus necnon personis iuridicis, sive publicis sive privatis, aequitate servata imponendi»⁸. Rationes adductae non sunt eadem.

Duo Patres dicunt: «Verbum extraordinarium nimis restringit potestatem Episcopi, qui ita nequit tributum pro ordinariis necessitatibus dioecesis imponere»⁹.

⁷ Cf. R. KEALY, *Diocesan financial support: its history and canonical status*, Romae, 1986. In pp. 375-381 referuntur interventus in sessione plenaria relate ad can. 1213, ab Eminentissimis Cardinalibus Krol et Bernardin, qui situationem peculiarem in Statibus Foederatis Americae septentrionalis considerant.

⁸ *Communicationes* 16 (1984) 28.

⁹ *Ib.*

Alter autem Pater proponit:

«Retineatur substantialiter can. 5 prioris Schematis (a. 1977). Formulatio novissimi Schematis rationem non habet illarum regionum in quibus viget systema tributi ecclesiastici (Kirchensteuersystem) et quae, novo Codice adveniente, non amplius hoc systemate uti possunt. Huiusmodi systema, ubi a fidelibus acceptatur, solutio praeferenda videtur¹⁰.

Istis difficultatibus Commissio sequens responsum dedit:

«Propositio non videtur admittenda. Modificationes ad can. 5 prioris Schematis numerosis animadversionibus organorum consultationis respondent... Censuerunt enim potestatem Episcopo concessam nimiam et quasi illimitatam esse, ac proinde aliquo modo circumscribi et delimitari debere. In specie expresse postulatum est quod subiecta passiva, exclusis religiosis, essent tantum personae iuridicae iurisdictioni Episcopi subiectae... Systema «Kirchensteuer» non primario ab impositione ecclesiae, sed a lege civili pendet; hoc praeterea systema vigeat etiam sub Codice Iuris Canonici, etsi Codex Ordinario loci nullum agnoscit ius simile tributum imponendi. Si denique «a fidelibus acceptatur», datur factispecies can. 1214.

Animadversio demum non sufficienter considerat quod in novo Schemate systema ordinarium acquisitionis bonorum invenitur in can. 1214, scil. fit per subventiones rogatas, dum contra «tributum» impositum est tantum medium extraordinarium. Hoc sensibilitati hodiernae, praxi et realitati magis respondet, quia ubi lege civili non imponitur, nullam habet Ecclesia effectivam (coercitivam) potestatem quibuslibet christifidelibus imponendi tributa¹¹.

2) Alii autem votum proferunt melius circumscribendam et limitandam esse potestatem Episcopi.

¹⁰ Id., p. 29. Difficultas provenit praesertim ab Episcopis linguae germanicae.

¹¹ *Ib.*

a. Prima difficultas senquentibus verbis resumitur:

«Contrariam sententiam tenet unus ex Patribus, qui animadvertit canonem sine ulteriore determinatione admitti non posse, quia iniustitiis ansam praebet. Explicite statuatur quod ius Episcopi restringitur ad personas eius iurisdictioni subiectas, exclusis proinde Institutis iuris pontificii. Absolum etiam videtur tributum aliquod clericis imponi, qui stipendium a dioecesi non percipiunt»¹².

Huic voto responsum implicitum habetur in textu iam supra citato, ubi mentio fit praecise de personis iuridicis subiectis et de religiosis, neque amplius fit sermo de personis physicis.

b. Secunda difficultas sequenti modo praebetur:

«Tribuere Episcopo ius singulis christifidelibus tributum imponendi videtur, ut aiunt, utopicum. Valde opportunum e contra censetur quod tributa imposita personis iuridicis publicis (prasertim paroeciis) ordinarium medium evadant ad necessitates dioecesis subveniendas. Quidquid sit, petitur ut in canone iterum inserantur functio normativa Conferentiae Episcoporum. Proponitur: «Ius est Episcopo dioecesano ad administrationem dioecesis implendam tributum ordinarium et moderatum personis iuridicis publicis imponendi, quod tamen ne fiat...»¹³.

Ad difficultatem solvendam, Commissio remittit ad responsum iam datum praecedentibus animadversionibus. Praeterea addit:

«Interventus Conferentiae Episcoporum suppressus est quia non necessarius iudicatur et ducere potest ad nimiam et indesideratam centralisationem. Ubi tamen Episcopi con-

¹² *Ib.*

¹³ *Ib.*, p. 30.

cordes sunt agere potest Conferentia Episcoporum ad normam can. 330, § 4»¹⁴.

5. Huiusmodi animaversiones tanti ponderis fuerunt ut redactio nova canonis facta sit. Canon 1263 definitivus plures novitates continet relate ad praecedentes redactiones: 1) Duplex distinguitur tributum: ordinarium et extraordinarium. 2) Ordinarium tributum imponitur tantum «pro dioecesibus necessitatibus», «personis iuridicis publicis suo regimini subiectis»; 3) extraordinarium tributum «ceteris personis physicis et iuridicis... in casu gravis necessitatis»; 4) salvae manent leges et consuetudines particulares «quae eidem (Episcopo diocesano) potiora iura tribuant».

Quoad textum definitivum, utiles esse possunt quaedam animadversiones:

1) Procedura a canone imposita eadem est, sive ad imponendum tributum ordinarium sive extraordinarium. 2) Tributum extraordinarium est exceptionale et pro singulis casibus: admittitur in casu gravis necessitatis. Ex hoc intelligitur cur imponatur omnibus personis, sive physicis sive iuridicis, sive publicis sive privatis. 3) Tributum autem ordinarium est «pro dioecesis necessitatibus»; imponitur personis tantum iuridicis et quidem publicis, cum personae iuridicae privatae sub aspectu iuridico non habeant quoad activitatem naturam diversam ac activitas personae privatae. 4) Praeterea subduntur tributo tantum personae iuridicae publicae eidem Episcopo subiectae. 5) Quod personae physicae et personae iuridicae privatae atque personae iuridicae publicae non subiectae excludantur a tributo ordinario est quaestio de oppor-

¹⁴ *Ib.*

tunitate, quia theoretice non potest excludi possibilitas imponendi huiusmodi personis tributum etiam ordinarium. Quia quaevis persona quamdam subiectionem semper habet relate ad Episcopum in quantum domicilium obtinet vel quasidomicilium in dioecesi vel activitatem exercet. Ceterum hodie solvere tributum in societate hodierna non amplius videtur signum subiectionis, sed potius obligatio tributum dandi communitati in qua quis vivit, cum utatur etiam servitiis.

II. Personae episcopo subiectae

1. In Ecclesia dantur personae sive physicae (can. 96) sive iuridicae (can. 113, § 2), quae «constituuntur aut ex ipso iuris praescripto aut ex speciali competentis auctoritatis concessione per decretum data» (can. 114, § 1). Persone iuridicae aliae sunt universitates personarum aliae universitates rerum (can. 115, § 1); aliae publicae aliae privatae (can. 116, § 1). Distinctio inter personas iuridicas publicas et privatas praebetur in can. 116, § 1: «Personae iuridicae publicae sunt universitates personarum aut rerum, quae ab ecclesiastica auctoritate competenti constituuntur ut intra fines sibi praestitos nomine Ecclesiae, ad normam praescriptorum iuris, munus proprium intuitu boni publici ipsis commissum expleant; ceterae personae iuridicae sunt privatae».

2. Omnes personae, sive physicae sive iuridicae, in Ecclesia subduntur hierarchiae ecclesiasticae, sive Ecclesiae universae sive Ecclesiae particularis. Can. 209, § 1 enuntiat principium generale circa obligationem qua adstringuntur fideles omnes «sua quoque ipsorum ratione agendi, ad communionem semper

servandam cum Ecclesia». De facto quaevis persona habet obligationes sive erga Ecclesiam universam sive erga Ecclesiam particularem. Can. 209, huiusmodi obligationes praesupponens, normam praebet: «Magna cum diligentia officia adimpleant, quibus tenentur erga Ecclesiam tum universam, tum particularem ad quam, secundum iuris praescripta pertinent».

Modo peculiari omnes Christifideles debent servare leges ecclesiasticas sive universales sive particulares quibus subduntur. Ambitus subiectionis determinatur ipsa lege canonica. Personae physicae obtinent propriam communitatem ecclesiam per domicilium et quasidomicilium (can. 103-107).

3. Cum agitur autem de personis iuridicis, sive privatis sive publicis, quaestio ponitur de subiectione hierarchiae, qua personae iuridicae. Quod ipsae sub sint hierarchiae nulla quaestio datur, sed quaestio ponitur quoad auctoritatem concretam cui subiciuntur qua personae iuridicae. Quaedam subiectio enim semper datur, quoad saltem activitatem exercendam in determinata dioecesi, quae semper esse debet conformis normis legitimis in dioecesibus vigentibus, sive sint universales sive sint particulares. Sub hoc aspectu personae iuridicae subiectae sunt determinato Ordinario vel eidem Sedi Apostolicae. Subiectio secumfert quod auctoritas cui subiciuntur exerceat in eas iurisdictionem ecclesiasticam, qua personas iuridicas.

Ex hoc intelligitur cur in nonnullis canonibus venit quaestio de personis iuridicis Ordinario subiectis. Unus ex istis canonibus est praecise can. 1263: Episcopus imponere potest tributum ordinarium tantum personis iuridicis sibi subiectis. Sed fere eadem expressio venit etiam in aliis canonibus. Can. 1276, §

1 statuit «Ordinarii est sedulo advigilare administrationem omnium bonorum, quae ad personas iuridicas publicas sibi subiectas pertinent, salvis legitimis titulis quibus eidem Ordinario potiora iura tribuantur». Quoad administratores, can. 1279, § 2 statuit:

«In administratione bonorum personae iuridicae publicae, quae ex iure vel tabulis foundationis aut propriis statutis suos non habeat administratores, Ordinarius, cui eadem subiecta est, persona idoneas ad triennium assumat; eadem ab ordinario iterum nominari possunt».

Episcopo dioecetano competit, ad normam can. 1281, actus extraordinariae administrationis, si statuta sileant de hac re, «pro personis sibi subiectis» (can. 1281, § 2). Eidem Episcopo dioecetano pertinet determinare summam mediam ad alienationem faciendam, ad normam can. 1292, § 1, si agitur de personis iuridicis eidem subiectis. Bona piae foundationis non autonomae destinanda sunt instituto dioecetano ad sustentationem clericorum, si bona concredita fuerint «personae iuridicae Episcopo dioecetano subiectae», ad normam can. 1303, § 2.

4. Sed unde scimus utrum detur an non haec subiectio Episcopo dioecetano? Plures dantur canones qui directe vel indirecte de hac re loquuntur, sub titulo praesertim De christifidelium consociationibus (cann. 298-329), sive sub capite de normis communibus, sive sub capitibus De christifidelium consociationibus publicis et privatis.

1) Sub capite «Normae communes» duo praesertim canones mentione sunt digni: 305 et 311.

a. Can. 305 statuit normas ad dignoscendam subiectionem personae iuridicae, atque distinctionem

facit inter vigilantiam qua gaudet auctoritas ecclesiastica et regimen.

§ 1. *«Omnes christifideles consociationes subsunt vigilantiae auctoritatis ecclesiasticae competentis, cuius est curare ut in iisdem integritas fidei ac morum servetur, et invigilare ne in disciplinam ecclesiasticam abusus irrepant, cui itaque officium et ius competunt ad normam iuris et statutorum easdem invisendi; subsunt etiam eiusdem regimini secundum praescripta canonum, qui sequuntur».*

§ 2. *«Vigilantiae Sanctae Sedis subsunt consociationes cuiuslibet generis; vigilantiae Ordinarii loci subsunt consociationes dioecesanae necnon aliae consociationes, quatenus in dioecesi operam exercent».*

b. Can. 311 praevidet consociationes, quibus praesunt sodales institutorum vitae consecratae:

«Sodales institutorum vitae consecratae qui consociationibus suo instituto aliquo modo unitis praesunt aut assistunt, curent ut eadem consociationes operibus apostolatus in dioecesi existentibus adiutorium praebeant, cooperantes praesertim, sub directione Ordinarii loci, cum consociationibus ad apostolatum in dioecesi exercendum ordinantur».

2) Ulteriores specificationes habentur quoad consociationes publicas et privatas.

a. Quoad consociationes publicas, praeprimis venit quaestio de earum erectione. De re agit can. 312. Auctoritas competens ad erigendas consociationes publicas universales ac internationales competens est Sancta Sedes (312, § 1, 1); si autem agitur de consociationibus nationalibus, «quae scilicet ex ipsa erectione destinantur ad actionem in tota natione exercendam» competens est Conferentia Episcopalis in suo territorio (can. 312, § 1, 2); si autem agitur de consociationibus dioecesanis, competens est «Episco-

pus dioecesanus in suo cuiusque territorio... iis tamen consociationibus exceptis quarum erigendarum ius ex apostolico indulto privilegio aliis reservatum est» (can. 312, § 1, 3).

Auctoritas erigens, ad normam can. 312, § 1, est competens ad probanda statuta, ad normam can. 314; atque obtinet in eandem consociationem altiore auctoritatem (can. 315); eidem auctoritati competit «moderatore ab ipsa consociatione publica electum confirmare aut praesentatum instituere aut iure proprio nominare», atque nominare «cappellanum» (can. 317, § 1). Si autem agitur de consociationibus a sodalibus institutorum religiosorum vi apostolici privilegii tunc valet praescriptum can. 317, § 2; nominare etiam commissarium, ad normam can. 318, § 1. Administratio bonorum fit «sub superiore directione auctoritatis ecclesiasticae de qua in can. 312, § 1, cui quotannis administrationis rationem reddere debet» (can. 319, § 1); etiam suppressio est auctoritatis erigentis (can. 320).

Per decretum erectionis, consociatio «persona iuridica constituitur et missionem recipit, quatenus requiritur, ad fines quos ipsa sibi nomine Ecclesiae persequendos proponit» (can. 313).

b. Personae iuridicae privatae erigi possunt in personam iuridicam ad normam can. 312; eidem auctoritati pertinet probare statuta.

Personae iuridicae privatae gaudent autonomia, ad normam can. 321; tamen sunt sub vigilantia auctoritatis erigentis, atque sub eiusdem regimine (can. 323); sub eius vigilantia quoad bona (can. 325).

5. Non est possibile de singulis omnibus elementis, sive communibus omnibus personis iuridicis, sive propriis personis iuridicis publicis vel privatis, profun-

diorem instituere considerationem, in ordine ad intelligendum canonem 1263, de quo agimus. Quaedam tantum sufficit breviter perstringere:

1) Nulla quaestio venit, quoad tributum ordinarium imponendum, de consociationibus quae non sint erectae in personam iuridicam. Huiusmodi tributum enim tangit tantum personas iuridicas.

2) Ne quaestio quidem venit de personis iuridicis privatis; tributum ordinarium imponi potest tantum personis iuridicis publicis.

3) Quaestio venit tantum de personis iuridicis publicis subiectis, in quantum sunt personae iuridicae. Iam nunc fundamentum subiectionis habetur ipso actu erectionis: personae iuridica qua talis subiecta est auctoritati quae eam erexit. Recolimus quid secumferat haec subiectio. Can. 1263 unum tantum elementum subiectionis tangit: huiusmodi personis iuridicis publicis imponi potest tributum ab Episcopo dioecetano.

III. De subiectione institutorum religiosorum

1. Instituta vitae consecratae in genere et instituta religiosa in specie obtinent decretum erectionis ab auctoritate ecclesiastica competenti et eidem auctoritati subsunt. Instituta vitae consecratae qua talia sunt personae iuridicae publicae. Aliquando tales sunt etiam determinatae circumscriptiones. Personae iuridicae publicae sunt, praeter instituta, provinciae et domus religiosae legitimae erectae (cf. can. 634, § 1). Huiusmodi instituta autem regulat Ecclesia peculiari legislatione attenta eorum natura. Vita consecrata enim pertinet ad vitam et sanctitatem Ecclesiae (cann. 207, § 1 e 574, § 1), «licet ad hierarchicam Ecclesiae structuram non spectet» (can. 207, § 2). «Consilia

evangelica ... sunt donum divinum, quod Ecclesia a Domino accepit Eiusque gratia semper conservat» (can. 575). Unumquodque institutum patrimonium habet, quod servandum et promovendum est (can. 578). Ideo «singulis institutis iusta autonomia vitae agnoscitur» (can. 586, § 1) et «ordinariorum locorum est hanc autonomiam servare ac tueri» (can. 586, § 2). Huiusmodi autonomia implicat quod instituta habeant ius proprium (can. 587). Haec autonomia, quae tamen non est independentia a hierarchia, diversos gradus continet, prout agatur de instituto iuris pontificii vel dioecesani (can. 589), clericali vel laicali (can. 588).

2. Principium generale statuit can. 593 circa instituta iuris pontificii. Huiusmodi instituta «quoad regimen internum et disciplinam immediate et exclusive potestati Sedis Apostolicae subiciuntur». Sodales autem horum institutorum sunt sub iurisdictione Episcopi «in iis quae curam animarum, exercitium publicum cultus divini et alia apostolatus opera respiciunt» (can. 678, § 1). Notanda est distinctio: instituta quae talia sunt sub iurisdictione Sanctae Sedis; sub iurisdictione Episcopi sunt sodales institutorum, sed tantum circa materiam determinatam a can. 678, § 1. Instituta vitae consecratae iuris pontificii sine dubio non sunt personae iuridicae publicae subiectae Episcopo dioecesano.

3. Quoad institutum iuris dioecesani, can. 594 statuit: «Institutum iuris dioecesani... permanet sub speciali cura Episcopi dioecesani». Codex 1917, in can. 492, § 2 statuebat quod congregatio religiosa iuris dioecesani: «remanet dioecesana, Ordinariorum iurisdictioni ad normam iuris plane subiecta».

In Codice praecedenti explicitum invenitur asser-

tum institutum manere subiectum iurisdictioni Ordinariorum. Tamen haec subiectio erat «ad normam iuris», id est delimitata. Nova legislatio non amplius adhibet verba «iurisdiction» et «subiecta». Verba nova adhibentur «permanet sub speciali cura»; specialis cura implicat potius vigilantiam; haec autem vigilantia exercenda ad normam iuris; quae tamen vigilantia in nonnullis casibus implicat facultates iurisdictionales. Sed dici potest quod institutum iuris dioecesani sit, qua tale, persona iuridica publica Episcopo subiecta? Non videtur. Sive quia instituta vitae consecratae, quamvis iuris dioecesani, «utpote ad Dei totiusque Ecclesiae servitium speciali modo dicata, supremae auctoritati peculiari ratione subduntur» (can. 590, § 1); eorumque sodales singuli «Summo Pontifici, tamquam supremo eorum Superiori, etiam ratione sacri vinculi oboedientiae parere tenentur» (can. 590, § 2). Sed etiam quia instituta vitae consecratae, quamvis gaudeant personalitate iuridica publica, non veniunt generatim sub expressione «persona iuridica publica». Instituta vitae consecratae enim qua talia sunt amplius quam personae iuridicae publicae, quamvis talem naturam induant: tamen non reducuntur ad naturam personae iuridicae publicae. De facto propriam considerationem obtinent in legislatione Ecclesiae: de iis non agitur sub titulo de christifidelium consociationibus, sed sub titulo de institutis vitae consecratae.

IV. Scholae institutorum religiosorum

1.

«Parentes, cum vitam filiis contulerint, gravissima obligatione tenentur et iure gaudent eos educandi; ideo parentum christianorum imprimis est christianam filiorum educa-

tionem secundum doctrinam ab Ecclesia traditam curare» (can. 226, § 2).

Can. 793, § 1 ulterius specificat et determinat hoc ius et hanc obligationem:

«Parentes, necnon qui eorum locum tenent obligatione adstringuntur et iure gaudent prolem educandi; parentes catholici officium quoque et ius habent ea eligendi media et instituta quibus, iuxta locorum adiuncta, catholicae filiorum educationi aptius prospicere queant».

Can. 794, § 1 determinat ius et obligationem educandi ex parte Ecclesiae: «Singulari ratione officium et ius educandi spectat ad Ecclesiam, cui divinitus missio concredita est omnes adiuvandi, ut ad christianae vitae plenitudinem pervenire valeant». Ex his § 2 eiusdem canonis deducit: «Animarum pastoribus officium est omnia disponendi, ut educatione catholica omnes fideles fruantur».

2. In hoc contextu intelligitur momentum scholarum. Can. 796, § 1 statuit: «Inter media ad excollandam educationem christifideles magni faciant scholas, quae quidem parentibus, in munere educationis implendo, praecipuo auxilio sunt». Deinde ius condendi scholas. Can. 800, § 1 statuit: «Ecclesiae ius est scholas cuiusvis disciplinae, generis et gradus condendi ac moderandi».

3. Hoc ius Ecclesia saepe saepius actuat median-
tibus institutis vitae consecratae. Instituta religiosa enim sunt personae iuridicae publicae, quae agunt nomine Ecclesiae, ad normam can. 116, § 1. Can. 801 monet eadem instituta religiosa:

«Instituta religiosa quibus missio educationis propria est, fideliter hanc suam missionem retinentes, satagant educationi catholicae etiam per suas scholas, consentiente Episcopo dioecesano conditas, sese impendere».

Instituta religiosa possunt adimplere hanc missionem, activitatem impendendo in scholis dioecesanis, vel in scholis propriis. Si agitur de scholis dioecesanis, hae subiectae sunt Episcopo; religiosi operam propriam praestant ad normam can. 681. Si autem scholae sunt eiusdem instituti religiosi, tunc subiectae sunt eidem instituto. Licentia constituendi scholas in quantum «opera instituto propria» continetur in ipso consensu ex parte Episcopi domum religiosam erigendi in propria dioecesi (cf. can. 611, 2). Eiusmodi scholae aliae sunt internae aliae externae eidem Instituto. Sunt scholae internae, quae destinantur ad educandos candidatos ad vitam religiosam in ipso instituto. Huiusmodi scholae internae pertinent ad regimen internum et disciplinam internam instituti, et reguntur canonibus 593 vel 594, prout agatur de institutis iuris pontificii vel dioecesani.

Si agitur autem de scholis externis, quae destinantur institutioni et educationi catholicae fidelium, dicendae sunt scholae catholicae ad normam can. 803. Quoad huiusmodi scholas, valet can. 804, § 1:

«Ecclesiae auctoritati subicitur institutio et educatio religiosa catholica quae in quibuslibet scholis impertitur aut variis communicationis socialis instrumentis procuratur; Episcoporum conferentiae est de hoc actionis campo normas generales edicere, atque Episcopi dioecesani est eundem ordinare et in eum invigilare».

Praeterea Episcopus dioecesanus, ad normam can. 683, § 1

«Ecclesias et oratoria, quibus christifideles habitualiter accedunt, scholas aliaque opera religionis vel caritatis sive spiritualis sive temporalis religiosi commissa, ... visitare potest, sive per se per alium, tempore visitationis pastoralis et etiam in casu necessitatis; non vero scholas, quae exclusive pateant propriis instituti alumnis».

Ex hac competentia, vigilantia et visitatione, non potest deduci quod agatur de scholis Episcopo dioecetano subiectis. Agitur non de competentia vel vigilantia vel visitatione circa scholas quoad se ipsas, sed circa institutionem et educationem religiosam catholicam quae in ipsis traditur. Haec est sine dubio competentia Pastorum, in quantum agitur de operibus apostolatus, ad normam can. 678, § 1. Ceterum, si instituta religiosa ipsa non subiciuntur Episcopo dioecetano, non possunt subiectae esse Episcopo dioecetano operae institutorum. Si operae sunt institutorum ab ipsis institutis creatae, in quantum operae propriae, eiden instituto subiciuntur, quamvis Episcopus dioecesanum quaedam iura circa eas habeat, praecise in quantum Pastor dioeceseos.

Huiusmodi scholae non gaudent generatim personalitate iuridica, neque ex auctoritate ecclesiastica neque ex auctoritate civili, praecise quia considerantur activitates seu operae propriae quae instituta religiosa explent ad propriam missionem ab Ecclesia agnitam explendam. Sed fieri potest quod schola, sicut ceterum nosocomium, constituatur pia fundatio sive autonoma sive non autonoma, ad normam can. 1303. Haec eventualis constitutio non mutat, quoad nostram quaestionem, naturam et dependentiam scholae a proprio instituto, si agitur de scholis institutorum religiosorum.

V. Interpretatio responsionis pontificii consilii

1. Dubium modo explicito respicit tantum scholas externas institutorum religiosorum iuris pontificii. Quod responsum sit negativum quoad hanc quaestionem per se patet. Scholae institutorum religiosorum sunt enim subiecta eisdem institutis. Immo si agitur de scholis, prout generatim accidit, quae non gaudent personalitate iuridica sunt omnino extra canonem, qui loquitur de personis iuridicis publicis. Sed, quamvis fortasse in nonnullis casibus sint piae foundationes autonomae, in quantum pertinent ad instituta religiosa, non sunt subiecta, sensu technico huius formulae, Episcopo dioecesano.

2. Sed aliae latent in dubio quaestiones, quae opportunum esse potest saltem innuere.

1) Quaestio non fit de scholis internis. Sed nulum dubium, a fortiori, datur quod huiusmodi scholae non sunt subiectae Episcopo dioecesano. Huiusmodi enim scholae pertinent ad disciplinam internam, quae, si agitur de institutis iuris pontificii, modo immediato et exclusivo competit Sedi Apostolicae (can. 593).

2) Sed quid si agitur de scholis, sive internis sive externis, instituti religiosi iuris dioecesani? Responsum videtur esse negativum. Institutum religiosum, quamvis iuris dioecesani, non potest intelligi canonice persona iuridica publica subiecta Episcopo dioecesano, ob illas diversas rationes adductas. Sicut non subicitur institutum ipsum tributo dioecesano, ita eius activitates. Tributum impositum operis vel activitatibus instituti nihil aliud est quam tributum instituto impositum. In can. 1263, uti etiam ex actis apparet,

sub terminologia «personae iuridicae publicae» non includuntur instituta vitae consecratae.

3) Tandem quae dicta sunt de institutis religiosis videntur valere etiam quoad societates vitae apostolicae et instituta saecularia. Vi can. 732 quae dicta sunt de institutis religiosis applicanda sunt etiam societatibus vitae apostolicae. Praeterea canones communes institutis vitae consecratae respiciunt etiam instituta saecularia.

VELASIO DE PAOLIS, C.S.

III

D. Utrum praesidis electio imponatur in canonicorum capitulis vi can. 509, § 1.

R. Negative¹.

Quoad praesidem (decanum, praepositum, archidiaconum, archipresbiterum, primicerium, scholasticum, etc.) capituli, tum cathedralis tum collegialis, et alia officia in eo constituta in Codice duos canones habemus.

Can. 507, § 1 sic sonat:

Inter canonicos habeatur qui capitulo praesit, atque alia etiam constituentur officia ad normam statutorum, ratione quoque habita usus in regione vigentis.

¹ Responsum Coetus Plenarii Commissionis CIC authentice interpretando (nunc Pontificium Consilium de legum textibus interpretandis) diei 24 februarii 1989 approbatum in audientia diei 20 maii 1989, promulgatum in AAS 81 (1989) 991; cf. *Communicationes* 21 (1989) 22.